

**De morborum psychicorum curatione generaliora quaedam : dissertatio
inauguralis medica ... / auctor Ferdinandus Augustus Meyer.**

Contributors

Meyer, Ferdinand August.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ferdinandi Nietack, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/udt5794j>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D.E

**MORBORUM PSYCHICORUM
CURATIONE
GENERALIORA QUAEDAM.**




DISSSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILLEMMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
FERDINANDUS AUGUSTUS
GUESTPHALUS.




OPPONENTIBUS:

C. WALLWUELLER,
G. SCHWALBE,
J. KUNTZE, } MED. ET CHIR. DOCTORIBUS.



BEROLINI.

TYPIS FERDINANDI NIETACK.



МУРОДИЧА МИЛОДО
СКОРЫХ ЧУДОВИЩ
ЖЕДЕБЪ КНОГДА ВЪЗДОХ

СЪМЪ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ ОН/УВОДІ

СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ

СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ



СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ

СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ

СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ

СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ

СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ
СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ СЪЛЯНІИ



Mentis facultatibus homines animalibus praestant; quod cogitare et judicare possunt, universae terrae tamquam principatum obtinent, cetera animalia sibi subjiciunt, Dei simulacra evadunt.¹⁾ Qui igitur illis mentis viribus vel male vel inepte utitur, iste ab excenso, in quo homines versantur, gradu delabitur; qui vero in miserrimam illam conditionem incidit, qua praeclara illa humani generis dote plane destitutus est, is multo inferior est bestiis, quippe quae mente ac ratione numquam gauderent. At ne corpus quidem bene valere solet, cuius domina et moderatrix aegrotat, neque facile quisquam invenietur, qui mentis morbo agitatus, omnes functiones vitales rite exi-

1) Ovidii Metamorphos. I. 76.

„Sanctius his animal, mentisque capacius altae
Deerat adhuc, et quod dominare in cetera possit.“

gerē valeat, quarum turbatio mentis morbi aut causa est aut sequela. Pulchre igitur non minus, quam pie antiquus ille philosophus, ut curetur, hortatur, ut sit mens sana in corpore sano.²⁾

Haec jam multo ante, quam ad artis medicae studium accederem, animum meum vehementer movebant et cupidine flagrabam, ut aliquando idoneus evaderem, qui miserrimis illis, praestantisimo, quo Omnipotentis benignitas nos ornavit, dono, cogitandi et judicandi facultate orbatis opem ferrem, praesertim cum in patria aliquoties mihi offerretur occasio observandi, tum quanta miseria insani opprimantur, tum quam laeto et prospero eventu humana, diligens atque rationalis curatio saepenumero coronetur. Postquam autem mihi constigit, ut arti salutari totum me dare possem, animum maxime intendebam in illos miseros, qui mihi cum omnium hominum, tum praecipue medicorum misericordia et diligentia digni videntur, neque nisi a crudelissimis et tanquam ferreis hominibus negliguntur et despiciuntur, dum veteri illi populo, qui in omnibus virtutibus nobis praeiucet, sacrosancti et diis inspirati erant,³⁾ quos qui violabat, Superis summas poenas dare credebatur. Cum varia remedia, quibus iis, qui men-

2) Cicero ad familiares I. 6.

3) Plato in Phaedro.

tis morbo laborant, opitulari nos posse credimus, varia ratione et vario effectu in usum vocari observassem, illa remedia adhibendi rationem in certas normas redigere mihi in mentem venit eaque, quae ab experientissimis praceptoribus meis acceperam, quae ex illustrissimorum virorum libris summa assiduitate volutatis hauseram, quae egomet observaveram, in hoc tirocinio, quod nunc publici juris facio, deposui, qua in re, ut vires desint, voluntatem tamen laudandam esse mihi persuadeo.

Penitus mihi perspectum est, animum esse, nescio quidem quo pacto, corpori connexum et quasi implicitum adeo, ut nulla sit morbosa organismi affectio, quin in animum etiam damniferum edat effectum. Facillime tamen intelligendum est, non omnium partium morbos eandem in mentis turbationes procreandas vim habere, sed nervos praecipue eorumque organon centrale et partes magna nervorum copia instructas, cum aegrotent, psychicos morbos ingressuros expedire, hos morbos vero primum nervorum systematis, deinde per consensum, cuius ductores nervi sunt, aliorum systematum affectiones elicere. Omnes igitur mentis morbos aut organismi functionibus vitiatis et impeditis, aut talibus rebus provocari censeo, quae immediatim in mentem efficiant et remedia, qui-

bus psychicis morbis medeamur, cum, ut radicalis sic dicta instituatur curatio, causae removendae sint, vel talia esse debere, quae vitiatas et impeditas illas organismi functiones in normam redigant, vel talia, quae immediatum valorem in animum habeant, quamvis memorem esse medicum necesse sit, nonnisi utriusque generis remediis apte conjunctis, prosperum eventum sperandum esse. Minime quidem me fugit, multos esse de mentis morbis scriptores haud mediocres, qui qualemcumque morbum psychicum a causa somatica sic dicta, i. e. a turbata quadam organismi functione proficiisci contendant, neque tamen vereor, ne illorum virorum quamvis maximi faciendorum sententiam rejiciens vel juvenilis petulantiae et temeritatis vel rerum ignorantiae insimuler, cum causis nitar, quas infra exponam, ubi de remediis psychicis acturus sum.

Poscat forsan quispiam, ut, priusquam remedia, quibus mentis morbis succurrimus, recenseam, latiorem de mentis morborum notione, causa proxima et divisione expositionem praemittam. Quominus vero illi satisfaciam, arcti, quibus hoc opusculum circumscriptum est, limites me impediunt, cum nihil nisi de curatione morborum psychicorum disserere mihi proposuerim et morborum psychi-

corum divisiones et subdivisiones cum Reil⁴⁾ medicis practicis, quorum arbitrio hasce pagellas sub jicio, prorsus inutiles esse judicem. Omnes enim insanis eo congruunt, quod errant, neque se errare credere possunt. Varii quidem sunt illi insanorum errores; alii in sensationibus, alii in imaginatione, alii in judicio a norma recedunt, in aliis mentis vires justo magis excitatae, in aliis oppressae sunt; quae vero omnia vel fortuita sunt, vel promiscua in conspectum veniunt, vel invicem se procreant. Neque magis causae remotae certum divisionis momentum praebent, cum in omnibus fere morbis psychicis, sive a somatica, sive a psychica causa originem duxerint, utriusque generis remedia in usum vocari necesse sit. Qui vero nihilo secius divisionis desiderio capti sunt, illi, cum divisiones, quas medici celeberrimi, de morbis psychicis curandis optime meriti instituebant proposuerim, cognoscent, fieri vix posse, ut illorum morborum ulla divisio instituatur, quae, id quod a morborum divisione accurata maxime requiritur, medico curandi normam suppeditet.

Sauvages⁵⁾ cum animi vires tribus rationibus, imaginando, cupiendo, judicando (Platonis

4) Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber, Bd. IV. §. 59.

5) Nosologie T. III. P. 1. p. 225.

νοητικόν, ἐπιδυμητικόν, ὀργητικόν) manifestari existimat, animi morbos in tres redegit ordines: a) coenaesthesiae, sensuum et imaginationis errores (hallucinationes); b) cupidines morbosae (morositates); c) judicii affectiones (mania). Primo ordini attribuit vertiginem, dysopiam, paracusin, hypochondriam, somnambulismum, aliasque sensuum et imaginationis abalienationes. Secundo ordini adnumerat picam, malaciam, antipathiam, hydrophobiam, nostalgiam, nymphomaniam. Tertio denique ordini mania, melancholia, furor adscribuntur. Sensuum vero et appetitus abalienationes psychicorum morborum nomine haud stipandae sunt, quamdiu, qui iis laborat, se errare sibi conscient est; ceterae autem, quae disjunguntur, species nihil nisi unius morbi, judicii errantis varietates sunt.

Crichton⁶⁾ tres morborum psychicorum ordines statuit, quorum primum mania efficit, qua cunctae animi vires turbatae, quae dicuntur et aguntur, ratione incongrua sint; huc refert maniam furibundam, et mitem, nec non melancholię. Secundus ordo errores seu hallucinationes amplectitur, quibus imaginationis ficta pro rebus vere extantibus aestimentur vel res, quae revera

6) Untersuchungen über die Natur und den Ursprung der Geisteszerrüttungen. A. d. Engl. Leipz. 1798.

exstant, falsa ratione percipientur; hujus ordinis species sunt: hypochondria, vertigo, daemonomania. Tertius ordo fatuitate constituitur, quae animi virium debilitate manifestetur, et pro illarum virium varietate septem species exhibeat. Quis autem est, quin hanc divisionem non satis exactam esse intelligat, et appetitus ab alienationes desideret, cum sensuum errores morbis psychicis adnumeratos invenerit?

Arnold⁷⁾ insaniam in idealem dividit, quae res, quae non existent, vel res existentes falsa ratione adspiciantur et in insaniam ad notiones, quae aegrotus recte quidem res adspiciat, sed de earum viribus et usu falso judicet. Quae divisio adspiciendi et judicandi facultates respicit, sentiendi autem et cupiendi facultates plane omittit.

Kant⁸⁾ morborum psychicorum divisionem statuit, quae sapientissimo auctore et maxime ingenioso digna, psychologiam et anthropologiam abstractam sic dictam illustrat, curandi vero normam nequaquam perhibet.

7) Observations on the nature, causes and prevention of insanity, lunacy or madness, ins Deutsche übersetzt von Michaelis. Leipz. 1782.

8) Versuch über die Krankheiten des Kopfes; in Rink's Sammlung der kleinen Schriften von Kant, S. 42.

Reil⁹) curandi methodum intuens, secundum indolem, quam exhibent, mentis morbos distinguit; eos igitur, qui synochae, qui typhi, qui paralyseos natura stipati sunt. Ad synocham et typhum melancholiae, delirii, moriae, maniae, furoris, ad paralysin fatuitatis varias species refert. Nonne vero fatui saepissime, cum robutissimi sint, omnia synochae symptomata prae se ferunt, melancholici contra et delirantes paralysi profligati videntur? Quam instabilis insuper et parum sufficiens illa divisio sit, ipse ille experientissimus medicus videtur intellexisse, cum, ut synocha a typho distinguatur, non animi turbationes solum, sed corporis constitutionem etiam, causas efficienes, anni tempus respici juberet.

Esquirol¹⁰) quamque animi turbationem delirium (Irresein) nominat, quo captus homo quidam dici possit, simulac ea, quae sensibus percipere sibi videatur, rebus externis, quae judicet, rationi haud congruant, quae constituat, et agat, sola cupiditate regantur et, id quod praecipue requiratur, voluntati sint contraria. Illius delirii Esquirol has quatuor species primarias statuit:

9) Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber. Bd. IV. §. 57.

10) Allgemeine und spezielle Therapie der Seelenkrankheiten. A. d. Französ. Leipz. 1827.

1) monomania (fixer Wahn, mania partialis nostratum, melancholia veterum), qua delirium una tantummodo re, vel paucis admodum rebus manifestetur 2) mania, qua delirium omnia rerum genera amplectatur et cum omnium virium vitalium exaltatione consociatum sit. 3) Dementia (Verwirrtheit) qua delirium sensationibus et judiciis perversis manifestetur, et cogitandi organa viribus functioni exigendae necessariis careant, unde animo concipiendi, comparandi, reminiscendi facultas deperdatur 4) imbecillitas animi (imbécillité, idiotsme, cretinisme, Blödsinn, Stumpfsinn), qua qui oppressus sit, numquam recte sentiat et judicet, cum judicandi organis rite exstructis nunquam gandeat Quae primariae delirii species varias habent secundarias species, easque monomania duas, a) melancholiā, quae deprimentibus animi affectibus provocetur et alatur, qua aegrotus, ut exemplo utar, insanabili morbo se laborare vel immane scelus se commississe sibi persuadet; huc referuntur: daemonomania (religiöser Wahnsinn), erotomania, quae illo potius, qui Platonis nomine ornari solet, quam physico sic dicto amore excitetur; Anglorum melancholia, suicidium; b) Vesaniā, quae ab excitantibus animi affectibus profiscatur et inter melancholiā et maniam medium teneat, cum et melancholiae errorem fixum et maniae exaltationem exhibeat (Narrheit, Wahn-

witz, Aberwitz). Mania secundum gradum, quem assecuta est, duas sistit species: maniam proprias dictam et furorem (Wuth, Tobsucht). Dementia distinguitur in acutam, chronicam, continuam, intermittentem et senilem. Animi imbecillitas denique aut inferioris aut superioris gradus est; qui in inferiori ejus gradu versentur, eos eruditionis capaces esse docetur, automatorum instar mechanica opera perficere neque quidquam fere dicere, nisi quod edidicerint; qui vero summo ejus gradu, perfecto cretinismo oppressi sint, istos miserrimos bestiis esse multo inferiores, cum non solum nihil intelligent, nihil judicent, nihil adspiciant, sed ne alimentorum quidem appetentia vel coeundi cupidine incitentur. Haec Esquiroliana morborum psychicorum divisio a plurimis quidem de illis morbis scriptoribus probatur, neque tamen negandum est, nequaquam eam plane sufficientem esse. Primum enim delirii definitioni id magno opprobrio est, quod delirantes, quaecunque agant, solis cupiditatibus regi docetur, cum scelesti etiam homines, quamvis haud ignorant, quid vel humanitatis, vel rei publicae leges aut postulent, aut vetent, cupiditatum tamen impotentes facinora committant. In mania deinde virium vitalium et functionum exaltatio adesse traditur; attamen tubi intestinalis functio in furibundis plerumque suppressa est, menses cessant

et animi vires supra normam exaltatae perversae etiam appareant necesse est, qua ex re maniam a dementia non satis distinctam esse elucet. Neque magis stabile discriminem institutum est inter dementiam et animi imbecilitatem, cum de dementia chronica, senili, altius evecta idem, quod de animi imbecillitate valeat. Formas igitur externas, quamvis ne has quidem semper exacte, Esquirol distinxit, indolem, quippe quae medico agenti maxime respicienda sit, prorsus fere neglexit.

Heinroth¹¹⁾ qui personam (das Ich) ex tribus partibus, ex animo ($\delta\tilde{\nu}\mu\circ\varsigma$, Gemüth), ex mente ($\nu\circ\tilde{\nu}\varsigma$, Geist, ex voluntate constare arbitratur, in sex ordines omnes psychicos morbos redigit, cum nonnisi ab exaltatione vel depressione aut animi, aut mentis, aut voluntatis eos oriri contendat. Exaltato animo maniam, depresso melancholiam; mente exaltata vesaniam, depressa fatuitatem; voluntate exaltata furorem, depressa voluntatis defectum enasci docet. Haec divisio primum in eo est reprehendenda, quod quantitatem solum intueritur, cum functionis cuiusdam quantitate a norma recedente, qualitas numquam integra restet. Deinde aliae insaniae species, quae disjungendae erant, in unum ordinem coactae, aliae, quae

11) Anweisung für die Irrenärzte. Leipz. 1825.

nonnisi gradu discrepant, immerito dissoriatae sunt. Cujus enim sensationes et perceptiones abnormes sunt, eum anomala ratione cupere et judicare necesse est neque judicia perversa exsistunt, nisi perceptiones abnormes subsunt. Experientia etiam quotidie fere divisioni Heinrothianae repugnat, nam melancholici interdum furore agitantur; furor superior maniae, voluntatis defectus inferior fatuitatis gradus est.

Buzorini¹²⁾ omnium mentis morborum fundementum in nervorum systemate situm ratus, secundum primarias illius systematis partes psychicos morbos dividit in vesanias cephalopathicas, seu cerebales, quibus intelligendi facultas affecta sit; in vesanias gangliothoracicas, quibus sentiendi et percipiendi facultas laboret; in vesanias ganglio — abdominales, quibus cupiendi facultas aegrotet. Haec divisio hypothesibus fundata est, quae neque argumentis evidentibus neque experientia probantur. Cur tandem percipiendi facultas in thoracis gangliis ponitur? eo forsan, quod melancholici, quibus percipiendi facultas turbata est, saepe graviter gemunt et tardas cordis pulsationes exhibent,

12) Ueber die körperlichen Bedingungen und über die verschiedene Form der Geisteszerrüttungen. Ulm 1825

quae vero phaenomena ex multis aliis pathematis proficisci posse, quemnam fugit? — Ganglia abdominalia magnam in psychicos morbos provocandos vim habere, nemo negabit, neque minus autem illos morbos, nisi cerebrum sive primaria sive secundaria ratione correptum sit, haud oriri, ideoque discrimen inter cerebrales et abdominales vesanias vanum esse, nemo non concedet.

Groos ex divisionibus, quae prius memoratae sunt, conjunctis novam divisionem eruere conatur. Mentis functiones ait duobus ingredientibus (ut ipsius scriptoris verbis utar) psychico scilicet et somatico perfici; psychicum in intelligendi, percipiendi et cupiendi facultatibus, somaticum vero in cerebro, in thoracis, et in abdominis gangliis positum esse; psychicos morbos ex illarum facultatum turbationibus, quas negationes nuncupat et ex gangliorum actione vel exaltata vel depressa oriri. Quatuor inde mentis morborum species primarias instituit, quarum singulas, prout exaltatio vel depressio adsit, iterum in duas species dividit: 1) Qua cunctae mentis facultates cum organis suis turbatae sint, qua igitur falsa intelligentur, percipientur, cupiantur; exaltatione delirium, depressione fatuitatem innatam effici. 2) Qua intelligendi facultas cum cerebro aegrotet, qua, si exaltatio adsit, vesania, depressione fatuitas acquisita (Es-

quirolii Dementia) exsistat; 3) Qua percipiendi facultas cum thoracicorum gangliorum actione a norma recedat; exaltatione maniam depressione melancholiam evadere; 4) qua cupiendi facultas cum abdominalium gangliorum actione, si exalentur, furorem, maniam sine delirio, satyriasis, nymphomaniam, si deprimantur voluntatis defectum efficiant. Haec divisio, cum priores divisiones complectatur, iisdem, quibus illae, reprehensionibus obnoxia est. Aequo enim e.g. ac Buzoriniana hypothesibus minime probatis nititur, cum percipiendi facultatem in thoracis gangliis ponat; haud minus atque Heinrothiana alias mentis turbationes arcte conjunctas discernit, alias discernendas in unum ordinem constipat, cum voluntatis defectum a fatuitate, fatuitatem acquisitam ab innata divellat. Praeterea mania sine delirio, quam Groos alios celebriores de morbis psychicis scriptores sectus statuit, numquam occurrit. Haud major denique, quam celeris divisionibus, utilitas Groossiana divisione medicis agentibus affertur.

Horn denique, praceptor meus illustrissimus, in praelectionibus suis hanc divisionem tradit, quae maxime quidem mihi arridet, qua tamen se aegrotos curantem non semper duci posse, experientissimus ille medicus ipse profitetur: 1) Furor (Tobsucht, Raserei) manifestatur universali imaginacionis, intelligentiae ac judicii perversione, ad quam

actionum externarum et vegetationis axaltatio accedit, unde aegroti clamant, jactantur, oculos splendentes, faciem rubram, vehementem cordis pulsationem perhibent; morbus plerumque remittit, rarissime intermittit, modo atypicus est, et saepe in fatuitatem transit. 2) Mania (Wahnsinn) qua imaginandi et judicandi facultas a norma recedit, varia tamen ratione in conspectum prodit. Modo enim maniaci exaltati, admodum sensibiles et furibundi, modo depresso, torpidi et quasi soporosi sunt. In duas species mania dividenda videtur, in maniam universalem et partiale. Priori speciei adnumerandae sunt: Vesania (Verrücktheit, Wahnwitz, veterum melancholia) qua aegrotans perversa ratione animo concipit, et judicat, sed, quod ad corpus, bene se habere videretur, nisi vultum distractum, turbatum prae se ferret; Moria (Narrheit, Dementia Esquirolii), qua agitatus falsas, tum de rebus externis, tum de se ipso, opiniones concipit, sed firma valetudine frui videtur, ipse sibi maxime placet, conditione sua contentus, agilis, vanis vel inutilibus rebus perficiendis cupide, neque tamen assidue occupatus, obediens, officiosus, eoque difficilius sanandus est. In mania partiali, quae nunc temporis plerumque melancholiae, nomine induitur, aegrotus una praecipue opinione falsa vexatur, alioquin vero recte intelligit et judicat. Si, id quod saepissime acci-

dit, somatica causa melancholiae subest, sensaciones, de quibus aegrotus queritur, non prorsus falsae sunt, sed ultra veritatis fines vagantur. Ad maniam partialem referuntur: Hallucinationes (Sinnestänschungen), Daemonomania (religiöser Wahnsinn), Melancholia Anglica, qua oppressi sibi moriendum esse credunt; Erotomania, Nymphomania, quae in furorem saepissime transeunt. 3) Amentia (Blödsinn), quae mentis facultatibus plus minusve sublatis nec non externo corporis habitu manifestatur, et secundum gradum varias species exhibet, hebetudinem mentis scilicet, fatuitatem (Albernhheit), Cretinismum, quo non solum mentis facultates, sed etiam ciborum appetitus et coeundi impetus desunt, quippe qui in ceteris amentiae speciebus aucti esse soleant.

Alias divisiones, quae vel duramentum, vel typum, vel complicationem et compositionem spectant, omittere liceat, quoniam in omnes, non in psychicos solummodo morbos et in omnes horum morborum varietates referri possunt.

De morborum psychorum curatione.

Quoniam mentis morbi a causis maxime diversis proficiscuntur, rebus summopere sibi contrariis aluntur, ratione maxime varia manifestantur; cujuscunque constitutionis, temperamenti, mentis facultatis homines afficiunt, stabiles, quae in omnes illos morbos curandos valeant, normas praeципere, ne experientissimi quidem et maxime ingeniosi medici vires sufficiunt, sed medici ingenio et saepissime animi strenuitati relinquendum est, ea, quae singulis casibus adhibenda sint, remedia eligere et eorum adhibendorum methodum statuere. Quam ob rem ea tatummodo remedia, quae in morbis psychicis adhiberi solent, recensere, qua ratione, quibus in casibus singula remedia adhibenda videantur, exponere mihi in animo est illorumque remediorum ea primum persequar, quae, quoniam corporis valetudinem emendant, in mentem etiam vim salutarem edunt (remedia somatica), dein ea, quae in ipsam mentem efficiunt (remedia psychica).

Priusquam autem illam remediorum recensionem aggrediar, de curatione morborum psychorum praeparatoria pauca disserere liceat, quae in

qualescunque mentis turbationes referenda sunt. Aegrotus scilicet, postquam cautum est, ne vel sibi ipsi vel aliis noceat, neve, cum insani saepissime maxime fraudulenti et astuti sint, fallere possit, ab omni, praecipue febrili, morbo intercurrente liberatus et remediorum, quibus in sanitatem restituendus est, capax esse debet. Causis externis igitur mentis turbatio vel provocabatur, vel alebatur, si quidem adhuc valent, illico subducendus est, id quod si fieri potest, radicalem curationem non solum magnopere adjuvat, sed etiam haud raro plane perficit. Primae viae purganda sunt, praesertim cum plurimi, qui mentis morbis aegrotant, talibus obnoxii essent causis, quae in primas vias praecipue male efficerent et sordibus crudis, incitantibus, justum remediorum effectum impedientibus coacervandis opportunitatem praeberent, unde Cox¹³⁾ suadet, ut, paucis tantummodo casibus exceptis, cuius morbi psychici curationi radicali ventriculi et intestinorum purgatio antecedat, neque, etiamsi diarrhoea jam adsit, a remediis purgantibus adhibendis abhorrendum esse censem. Haud magis negligenda est psychica praeparatio, qua, ut aegrotus in res, quibus circumdatus est, animum intendat, earumque

13) Praktische Bemerkungen über Geisteszerrüttungen. Halle 1811. S. 50.

veram rationem cognoscat, tum ut medici praecceptis obtemperet, efficiendum est. Varia quidem morborum psychorum genera, varia aegrotorum ingenia et temperamenta, variae conditiones, in quibus antea versabantur, variae eorum constitutiones et educationes, quo minus stabiles psychicae praeparationis normae praecipi possint impediunt; nihilominus tamen non desunt, quae in quamque mentis turbationem valeant, et attentionem simul cum obedientia efficere possint. Aegrotus in conditionem redigatur, qua omni adjumento et adminiculo se destitutum esse credat, a suis igitur ex domicilio et ex patria removeatur, id quod, si necesse videtur, cum solemnitate et terrore fieri licet; periculis se expositum conspiciat, quae effugere conetur; eos, qui sibi praesint, se ipso potentiores eorumque voluntatem immutabilem et promte exsequendam esse cognoscat; iudicio non audientes castigatos, obedientes benigne tractatos videat. Neque minus studiose medico id agendum est, ut aegroti fidem sibi faciat, ut enim in unius tutelaris instar appareat, a quo nihil nisi benignum quoddam et salutare credat. Quibus omnibus postquam aegrotus et attentus et obediens et medico fidens redditus est, tum demum fieri potest, ut cetera remedia, tum somatica, tum psychica, benignum in eum valorem habeant.

His de curatione praeparatoria praemissis, re-

mediorum, quae in morbos psychicos adhibere consuevimus, recensionem ipsam aggressurus sum, postquam iterum monuero, nonnisi utriusque generis remediis apte conjunctis salutem exspectandam esse.

De remediis somaticis.

Vix esse monendum opinor, neque ea remedia huc pertinere, quibus solummodo mentis morbi causae occasioales removeantur, quibus e. g. exanthemata retrogressa, vel excretiones habituales suppressae revocentur, aut infarctus abdominales tollantur, cum, cessante causa occasionali, non semper morbus etiam cesseat, neque ea, quibus complicationes vel morbi intercurrentes depellantur, cum, quia omnes fere morbi mentis turbationes comitari possunt, totus, qui nobis praestoster, medicaminum thesaurus enumerandus esset, sed ea potissimum medicamina, quibus, licet proxime quidem in corpus agant, ipsi mero mentis morbo mederi conemur. Quae medicamina talia praecipue sunt, quae in nervorum systema agant, cuius functionibus mentis actiones sive normales sive abnormes evidentissime manifestantur. Ja-

cobi¹⁴⁾) igitur, cum in morbo psychico curando ventriculum potissimum intuendum esse doceret, non tam mirabile paradoxon instituit, quam ipse cum ambitione quadam gloriatur, cum non in cerebrales solum nervos, sed in gangliorum etiam plexus maxime efficiendum esse nemo est, qui neget. Haud raro tamen ad morbum psychicum removendum cetera etiam corporis systemata respiciantur, maxime necesse est, quamquam nondum comperatum habemus, cur et quomodo illa systemata tantam vim in mentis functiones mutandas habeant neque hunc locum idoneum esse arbitror, quo varias theorias de illa re institutas exponam.

Haec igitur sunt remedia somatica in morbos psychicos adhibenda:

Emetica inde a veterimis temporibus in qualescunque morborum psychicorum species et gradus adhibedantur, atque salutaria reperiebantur. Neque enim solummodo crudas substantias ejiciunt, quae saepissime mentis turbationes vel excitant, vel alunt, sed etiam, dum totum organismum conquassant, nervorum actionem mutant, cutis spasmum tollunt, excretiones retentas promovent. Quibus rebus fit, ut, licet crudae istae substantiae aut non suspicandae sint, aut jam ejec-

14) Sammlungen für die Heilkunde der Gemüths-krankheiten. Elberfeld 1822.

tae, emetica tamen prosperrimo cum eventu propincentur. Nihilosecius summa cautione et circumspectione in adhibendis emeticis opus est, neque illa agendi ratio probanda, qua in nosocomio quodam Anglico, quod Bedlam vocatur, omnibus, quorum mens turbata est, vernali cujusque anni tempore quater vel quinquies emetica porriguntur.¹⁵⁾ Maniacis, qui nimia exaltatione vexantur, emetica, quoniam erethismum augent, non porrigenda sunt, nisi symptomatibus, gastricis requirantur; qui vero aut melancholia obruti sunt aut fatuitate submersi aut moria agitati, iis emetica prosunt, cum eorum mentem aut torpide stupentem aut vase volitantem expergisci et in normalem viam reverti cogant. At ne his quidem, si sanguinis ad cerebrum congestionibus, aut haemorrhagiis laborant, emetica temere propinare licet, nisi prius sanguinis emissio instituta est, qua neglecta emeticis porrectis apoplexia et paralysis sequi potest. Monendum etiam est, difficillime tantummodo insanorum vomitum excitari, opio tamen prius assumto expeditius procedere. Computantibus nobis, quale emeticum adhibendum sit, tartarus stibiatus ceteris omnibus praferendus videtur quoniam ejus effectus certissimus est, quoniam

15) Haslam: Beobachtungen über den Wahnsinn. A. d. Engl. Stendal 1800.

alvum etiam aperit, quoniam denique ejus solutio colore, sapore, et odore caret, unde, id quod in insania curanda haud parvi momenti est, facile occultari potest. Saepe emeticorum doses refractae sic dictae adhibentur, quae non vomitum, sed nauseam tantum efficiant, ut animus, dum in sensationes injucundas in ventriculo excitatas attentio figitur, ab erroribus revocetur. Nauseam vero quae excitet, rad. ipecacuanhae maxime videtur idonea, quae non tam celeriter, quam tartarus stibiatus vomitum provocat.

Purgantia aequa ac emetica tum ut causae morborum mentis efficientes amoveantur, tum ut derivatio a cerebro instituatur, tum ut mentis conversio (ut Ferreari verbo utar) provocetur, in usum vocari solent. Pro diverso igitur, qui nobis propositus est, scopo, diversa remedia purgantia adhibenda sunt; in mania enim, in qua nimius viget sanguiferi systematis erethismus, salia antiphlogistica prosunt; in melancholia, quae ab organorum abdominalium infarctu proficiscitur, ea purgantia utilitatem afferunt, quae resolvunt et venosi praecipue sanguinis circuitum promovent; ubi perversa nervorum actione mentis turbatio manifestatur, nec non morionibus, quorum animus instabilis in rebus vanis et ridiculis volitat, draconistica sunt salutaria, quae, sicuti emetica, nervos injucunde afficiunt eoque animum ab evagatione

deflectunt. Quibus ex drasticis remediis hellebori nigri et albi radices, gratiolae herbam adhibitas velim, illas, quia a veteribus medicis summis laudibus extolluntur, hanc, quia recentioribus admidum salutiferam se praestabat. Qui de veterum helleborismo i. e. de ratione, qua veteres hellebori radicem adhibuerint, copiosius edoceri voluerit, ei sufficient Arnold,¹⁶⁾ Schulz,¹⁷⁾ Lorry,¹⁸⁾ Greding,¹⁹⁾ Reil.²⁰⁾ Quod autem hellebori et nigri et albi radix, quam non solum copiosam alvi fluxionem, sed etiam vomitum efficere veteres praedicant, a nostratis medicis non tanti aestimatur, id in eo positum videtur, quod veram, quae veteribus in usu erat, radicem nos ignorare verisimillimum est et quod hellebori radices cum aliis similibus radicibus e. g. cum rad. Adonis vernalis et apeninae, Actaeae spicatae vel communitantur, vel commiscentur. Neque tamen hellebori veri jactura adeo lugenda videtur, quam illorum, quos memoravi, scriptorum nonnulli censem, cum

16) l. c. Th. I. S. 13.

17) Diss. de helleborismo veterum. Halae 1717.

18) De melancholia et morbis melancholicis, Paris. 1764. Bd. II. S. 403.

19) Vermischte Schriften Bd. I. S. 170.

20) Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber. Bd. IV. S. 476.

herbam Gratiolae illas radices omni ratione non solum plane compensare, sed etiam antecellere novissimis observationibus probaretur.²¹⁾ Inflammationem vero abdominalis cujusdam organi vel magnam virium prostrationem, ne drastica adhibeantur, vetare, ex iis jam elucet, quibus, antequam ipsius psychici morbi curatio incipiatur, omnem comitantem vel intercurrentem morbum tollendum esse supra monui.

Sternutatoria, quia cerebrum incitant, totumque organismum conquassant, fatuis praecipue et morionibus sunt utilia, sed, sicuti emetica vitanda, ubi sanguis vehementer ad cerebrum congeritur. Sternutatoria solita sunt: h. nicotianae pulverata, flores convallariae majalis, herba majoranae, h. melissae, rad. hellbori albi, gas acidi muriat, oxygenati.

Narcotica. Opium ab aliis medicis (Cox) rejicitur, ab aliis (Odier, Selle, Chiaruggi, Young, Ferriar, Reil) laudatur. Quibus vero opium non utile se praestabat, ab iis vel iniquis conditionibus vel temerariis dosibus porrectum videtur, nam incitabilitatem quia minuit, exaltationem sedat, somnum efficit, ei praecipue maniae, si sat mag-

21) Kostrzewski: Diss. de gratiola. Viennae 1775. — Erhard Diss. de gratiolae efficacia ejusque praesertim in mania usu. Lipsiae 1818.

nae est utilitati, cuius materialis causa aut non adest, aut, si aderat, jam remota est; refractae vero ejus doses, quoniam nervorum actionem incitant, spasmos solvunt, hebetudini praecipue mentis subveniunt. Abstinendum tamen ab opio est, ubi activae sanguinis ad cerebrum congestiones vel pertinaces alvi obstructiones vel organica abdominis vitia, vel sordes gastricae adsunt; neque obstinate inculcandum est aegroto, cui, quamquam jam diu porrigebatur, nullum levamen, quin imo augmentum morbi afferebat; quod enim si accidit, paralysis et insanabilis fatnitas inconsideratum opii usum sequi solet. Stramonii, hyoscyami, belladonnae cicutae, aconiti, extracta dosibus incrementibus adhibenda, sedantes habent in mentem nimis exaltatam vires, neque tamen unquam radicalem morbi psychici sanationem efficere possunt, sed palliativum tantummodo auxilium ferunt, id quod multis experimentis, quam diligentissime et accuratissime a Greding²²⁾ institutis probatur. Adeo accedunt herba et extractum digitalis purpureae, quae non solum narcotico principio iis insidente nimiam exaltationem sedant, sed etiam emeticorum in modum per nauseam in mentem

22) I. c. Bd. I. de hyoscyamo S. 1—36; de stramonio S. 37—103; de belladonna S. 114—168.

agunt, quamquam tantas laudes haud merentur, quantis a Cox extolluntur, qui nullum psychicum morbum insanabilem judicandum esse dicit, priusquam digitalis esset in usum vocata.²³⁾ Moschus cutis secretionem auget et nervorum incitabilitatem diminuit, unde illis mentis morbis, qui ab exanthematibus retrogressis aut a cutis transpiratione suppressa originem ducunt et iis, qui cum vehementioribus spasmis conjuncti sunt, palliativum afferunt auxilium, at ne hoc quidem, nisi sat magnae ejus doses adhibentur, quare Locher²⁴⁾ scrupulum, Pargeter²⁵⁾ drachmas sex quotidie propinari jubent. Vanilla jam veteribus²⁶⁾ contra melancholiam torpidam in usu et a recentioribus quibusdam²⁷⁾ in eundem morbum laudatur. Camphorae exiguae doses, quia energiam torpentem incitant, contra melancholiam torpidam et fatuitatem, majores autem doses, quia nimiam exaltationem deprimere videntur; contra

23) l. c. S. 132.

24) Observationes practicae circa luem venereum, epilepsiam et maniam. Viennae 1762.

25) Beobachtungen über den Wahnsinn. A. d. Engl. Leipz. 1793.

26) Rajus de historia plantarum.

27) Pargeler l. c. S. 110.

furorem et maniam a multis medicis adhibetur, neque tamen certis et probandis principiis camphorae usus nititur, neque Cox errare videtur, qui eam in mentis turbationibus quam minimi effectus esse docet.²⁸⁾ In nymphomaniam quidem specificam vim, (siquidem talis vis statuenda est), habere dicitur, et Auenbrugger,²⁹⁾ qua ratione adhibenda sit, copiosius edocet; at in hoc etiam morbo ut a camphora caveatur suadendum est, cum saepissime non solum nihil prospicit, sed sterilitatem etiam et impotentiam efficiat. Id certe constat, nonnisi tum esse camphoram porrigendam, cum aegrotus faciem pallidam, extremitates frigidas, respirationem tardam, et pulsum rarum exhibeat; plethore vexante, sanguinem emittendum, colluvie gastrica premente sordes ejiciendas esse, priusquam camphora adhibeatur; aceto diluto copiose assumto camphorae effectum in mania optime adjuvari.

Electricitas tum frictionis, tum galvanismi, nervorum et muscularum actionem vehementer incitat, ideoque iis mentis morbis apta videtur, quibus paralyseos indolem Reil attribuit et Cox³⁰⁾

28) I. c. S. 149.

29) Experimenta de remedio specifico in mania vi
rorum, Viennae 1776. p. 16.

30) I. c. S. 157.

eo tantummodo electricitatem bene efficere dicit, quod vasorum uterinorum obstructionem tollat, quippe quae non rara insaniae causa sit. Neque tamen illius in psychicos morbos vires illustratae, neque experientia satis probatae sunt, quamquam jam Bertholon de St. Lazare³¹⁾ adeo eas expertus videri volebat, ut in maniam furibundam negativam, in melancholiā et fatuitatem positivam electricitatem adhiberi juberet. Huc etiam pertinere videtur magnetismus animalis, de cuius tamen efficacia in dubitatione versamur, cum, si quando se ostenderet, non nisi exaltatae animi conditioni adscribenda videretur.

Epispastica, Rubefacientia, Vesicatoria, ulcera artificialia triplici ratione instrumentis turbationes bene efficere valent. Primum enim excitant cutem, quam, quia tanta nervorum copia praedita est, in psychicis morbis magni momenti esse Jacobi haud immerito judicat, ejusque secretiones, si forte suppressae sunt, vel restituunt vel saltem resarcunt. Deinde derivationem a cerebro instituunt, quem in finem fatuis et mentis hebetudine afflictis in ipso vertice, vel in epocranii ossium suturis, maniacis autem et mentis

31) Anwendung und Wirksamkeit der Elektrizität.
Bd. II, S. 36.

exaltatione vexatis, in locis a capite remotis ulcera artificialia collocanda sunt. Nymphomania laborantibus cantharides damnum afferre, ex earum in genitalia effectu facile intelligitur. Dolorificam denique sensationem quia efficiunt, animum torpente incitant et a devortiis in rectam viam deflectunt, qua in re tamen cavendum est, ne ulcera artificialia ab aegrotis destruantur, unde setaceum in cervice inter scapulas applicetur. Huc referenda est etiam scabiei inoculatio, qua Mutzel³²⁾ aegrotum quendam se sanasse narrat, qui statuae instar nihil ederet, nihil biberet, nihil vociferaret, neque ullo alio remedio incitarentur. Neque despiciendae sunt cutis frictiones, quibus veteres praecipue ad leviores insanias secundas et ad somnum efficiendum uti solebant.

Balnea frigida et tepida. Balneum frigidum modo animi exagitationem sedat, modo roborat, et mentem a torpore liberat, quo submersa est. Diversi tamen, qui petuntur, scopi diversam balnei frigidi administrandi rationem poscunt, quare mox balnea universalia, mox superfusiones frigidae, mox embrocationes, mox submersiones repentinae adhibeantur necesse est. Qui expositum habere velint, unde balnei frigidi in mentis turbationes effectus proficiscantur, ii penetrantem

32) Collections d'observations, T. I. p. 30.

frigoris repente percepti in nervos vim considerent neque non computent, quantopere in submersionibus repentinis sui ipsius conservandi nisus et in embrocationibus et superfusionibus sensatio injucunde mentem turbatam incitet et convertat. Vanus autem est iste timor, ne frigore saepius adhibito gangraena nascatur, quam, siquidem in rarioribus casibus appareret, vel ab aliis causis, vel ab imprudenti frigoris usu exortam esse verisimillimum est. Huc etiam pertinent fomentationes frigidae in caput administratae, quae exaltationem sedant, somnum efficiunt, ideoque maniae furibundae in primis prosunt, quibus tamen, si vehementes sanguinis ad cerebrum congestiones adsunt, sanguinis detractiones praemittendae sunt, ne sanguis frigore subito in cerebrum retrusus apoplexiā efficiat. Balnea tepida, tum universalia tum localia, tum semicupia, tum pediluvia, quia sellantem in nervos vim habent et se- et excretiones suppressas revocant, bona sunt curationis adjuventa eaque facilius adhibenda, quod qualescumque insani, maniacis furibundis non exceptis, lucenter iis utuntur. Sanguinis emissiones, tum universales, tum locales iis mentis turbationibus opem ferunt, quibus Reil stheniae indolem attribuit. Quae indoles, ubi in toto systemate sanguiferō manifestatur, ut sanguis ex brachii venis emitatur poscit; ubi vero plethora localis vasorum

capitis adest, hirudinum ad caput applicatio necessaria est; ubi denique sanguinis ad cerebrum congestiones maniam excitant, venaesectio in pede instituta prodest, Cucurbitulae, quibus se maniam sublevasse Haslam narrat,³³⁾ non sanguinis detractione solum, sed epispasticis etiam viribus prodesse videntur, In iis mentis morbis, qui sanguinis missiones poscant, totum apparatus antiphlogisticum adhibendum esse, vix monitu opus est. Caveas autem, ne methodum antiphlogisticam quilibuscunque mentis morbis utilitati esse tibi persuadeas neve eam continues, postquam ea sunt remota, quibus requirebatur, quod enim si fieret, mania in fatuitatem insanabilem transiret.

De remediis psychicis.

Hic mihi videtur locus esse esse, quo argumenta afferam, quibus, singulis in casibus animalium posse corpore integro aegrotare, probari arbitror. Quae igitur argumenta sunt:

1) Quoniam animi actiones per nervorum systema proxime in conspectum venire constat, quipp

33) l. c. S. 39.

quod animi tanquam organon sit, animo turbato illud certe systema, siquidem qualibuscumque morbis psychicis organica abnormitas subesset, a normali structura recederet. Attamen testantibus diligenter tissimis medicis et fide dignissimis in permultis insanis, neque cerebrum, neque medulla spinalis, neque ullus nervus abnormitatem quandam exhibebat, dum talium hominum cerebrum saepe vitiouse constructum erat, qui numquam insaniae symptoma quoddam prodiderant. Qam ob rem haud scio an Bonnet in corde, Bichat in nervi sympathici gangliis, Esquirol, et multo ante Schulze³⁴⁾ in irregulari intestinorum situ, Jacobi in stomacho insaniae causas quaererent, de quibus vero organis eadem valent, quae de nervorum sistmate dicta sunt.

2) Insani saepe firmissima corporis valetudine utentes ad summam senectutem perveniunt; quinimo animi morbo corpus firmari videtur, cum potentiae aliis hominibus nocivae e. g. contagia, morbi epidemici, insanis plerumque parcant.

3) Mentis morbi saepe solius mentis commotionibus e. g. ira, gaudio, terrore et efficiuntur

34) Diss. casus aliquot mente alienatorum sistens (in Halleri collect. disp. VII. Nr. 248.)

et tolluntur,³⁵⁾ quae tamen velociorem effectum edunt, quam ut organi ullius structuram mutare possint, etiamsi Jacobi minus obscura diceret, cum illis mentis affectionibus partium organisationem mutari contuleret.

4) Quod a parentibus in liberos transire potest mentis alienationum dispositio, quippe quae igitur nonnisi in organisationis vitio congenito sita sit, id non refellit meam opinionem, qua omnem morbos psychicos a causa psychica oriri non contendeo, sed cuicunque mentis turbationi organisationis vitium subesse ideoque nos psychicis remediis carere posse nego.

Psychicum remedium illud est vocandum, quod non corporis organisationem mutandam, sed animi vires spectet, quas aut incitet aut deprimat aut convertat. Quod vero cum aut per sensaciones in corpore excitatas aut per ipsius animi affectiones fieri possit, psychica remedia aptissime distinguuntur in indirecta, quae proxime in coenaesthesia et sensus efficiunt, et in directa, quae immediatim in mentem agunt.

35) Cicero Tusc. quaest. III. 5.: „Quasi vero atra bili solum mens, ac non saepe vel iracundia graviore vel timore, vel dolore moveatur! quo genere Athaman tem, Alcmaeonem, Ajacem, Orestem furere dicimus.“

I. Remedia psychica indirecta.

Haec remedia sensationes aut injucundas aut jucundas efficere debent, prout aegroti mens aut torpeat, aut furiat aut in devortiis volitat. In plurimis tamen casibus injucundae sensationes sunt efficiendae, quoniam illi, in quos jucundae sensationes salutarem effectum habent, vel leniore insaniae gradu vexantur, vel ad sanitatem jam proprius accesserunt. Neque ii audiendi sunt, qui humanitatem et misericordiam ostentantes talem curandi rationem crudelitatis convicio increpitant, sed eum potius infelicium aegrotorum miseret, qui ut eos sanet, aptissima et probatissima, quamvis dolorifica remedia adhibet neque imprudenti molilitie ductus blandis quidem, sed ineptis et inutilibus remediis ludens, morbum vel producit vel plane insanabilem reddit, sicuti iste, qui amputationem necessariam, quia dolorifica sit, instituit, humanitatis laude certe indignus est.

Ut molestae coenaesthesiae affectiones excitentur, multa eorum remediorum sunt in usum vocanda, quae ad somatica remedia referebantur emetica scilicet, nauseantia, purgantia drastica, vesicatoria, balnea frigida, praecipue superfusiones frigidae, embrocationes, submersiones, fames, siti, status erectus continuus, oscillatio, vibratio, rotatio, quae ut eficiantur, multa et varia inventa

sunt instrumenta (Cox, Darwin, Horn); ii denique apparatus huc referendi videntur, quos ad symptomaticam curationem pertinere nonnulli scriptores (Neumann) dicunt, qui tamen hunc in finem potissimum adhibentur, ut aegrotus ad obedientiam redigatur, et simul coercentur, ne vel sibi ipsi vel aliis damnum inferat: horologii theca sic dicta, saccus, cunae, sella, thorax, lora, braccae, cucchini et multa alia,³⁶⁾ quibus aegroto ultiro se movendi potestas adimatur.

Ut per coenaesthesia animus suaviter afficiatur, praecipue dolores sublevandi sunt, quare illis, quibus coenaesthesia injucunde afficienda erat, justo tempore amotis nimia exaltatio sedari potest, deinde remedia quaedam leniter incitantia, exiguae opii doses, modicus vini usus, frictiones placidae in gratam conditionem animum redigunt. Sensus, per quos in animum aegrotantem agere possumus, sunt: olfactus, visus et praeprimis auditus, cuius organon haud facile impediri potest, quominus sonos excipiat, quos Pythagoras animum elementum nominat. Modi musicodium eloquentia per rationem tantummodo et immaginationem afficiendam in animum agere potest,

36) Neumann: die Krankheiten des Vorstellungsvermögens. Leipz. 1822. S. 248 et sqq.

immediatim animum movent, pro infinita eorum varietatem et compositione attentionem intendunt, cupiditates incitant, et ex intimo animi recessu quasi proliciunt, tum animi turhationes placant et moestitiae nebulas disjiciunt. Quibus ex causis modos musicos insanis esse maxime salutiferos, facile est intelligendum et experientia jam diu comprobatum; delirantibus, maniacis modi dulces vel etiam unisoni placationem et somnum afferunt, ex quo quasi ad novam vitam exergefunt; dementes, melancholici, moriones modis serenis vel iis, quibus prius delectari solebant, moventur et in pristinam cogitandi et agendi viam reducuntur.

II. Remedia psychica directa.

Haec remedia tum in rationem (Vernunft) tum in animum (Gemüth) efficere debent, quamquam Jacobi in animum praecipue efficiendum esse persuadere conatur, Plerumque tamen ea, quae in rationem agunt, animum etiam commovent, neque vero multum prosunt, nisi vel lenior insaniae gradus vexat vel causae morbum excitantes et alentes remotae sunt.

Ubi in rationem acturi sumus, primum est perputandum, num errores, in quibus aegrotus versatur, in speciem confirmandi sint, an argu-

mentis dissipandi. Isti mihi videntur non posse argumentis moveri, qui in alto insaniae gradu versantur vel quorum morbus, a corporis malo quodam ortus et, dum illis, quorum morbus vel levior vel mere psychicus est, argumenta idonea facillius persuadent. Exempla praebent illi mente capti, qui animalia quaedam ipsorum corporum partibus quibusdam insidere credentes, argumentis, quibus, ut hoc accideret, fieri non posse quam evidentissime probabatur, frustra prolati, tum demum sanabantur, cum operatione ad speciem facta talia animalia, veluti ex corpore exempta ante oculos posita essent.

In rationem proxime, neque tamen minus in animum bone efficiunt: occupatio tum utilibus tum inutilibus negotiis tum ludis. Neminem sane latet, quantum damnum desidia afferat, neminem igitur fugit, quam salutaris sit occupatio viribus haud inepta, haud injucunda, quae attentionem figit, a falsis opinionibus animum detrahit, corpus roborat et defatigat, quare omnium aetatum medici ut insani agrorum et hortorum cultura, artificiis, militaribus exercitationibus, ludis occupentur snadent, sed etiam merito ut caveatur monent, ne occupationis instrumentis quasi armis abutantur, ne nimis defatigentur, ne ad labores perficiendos, a quibus eorum ingenia vel vires abhorreant, rudi saevitia cogantur. Lectiones

praecipue recitationes eorumque, quae legebantur, enarrationes, quae insanos erudiunt, eorumque attentionem figunt; quare Asclepiades jam mendose recitari et aegrotos, ut menda corrigan, impelli jubet.

Ordo et mundities; ubi enim in rebus, quae aegrotum circumdant, ordo est conspicuus, ea etiam, quae aegrotus cogitat, in ordinem quendam rediguntur; ipse saluti suae provideri mox intelligit et praeceptis libenter obedit, dum rerum externarum confusio ejus mentem incitat et perturbat.

In animum agunt praecipue omnes affectus tnm excitantes tum demulcentes. Quantum ira, metus, terror, pudor, ambitio, consolatio, pietas, misericordia, si justa ratione justoque tempore excitarentur, in multis casibus profuerint, ii libri nos certiores faciunt, in quibus Celsus, Coelius Aurelianus, Chiaruggi, Lorry, Pinel, Esquirol, Arnold, Cox, Crichton, Ferriar, Haslam, Perfect, Erhard, Langermann, Hofbauer, Reil, Heinroth, Nasse, Neumann, Jacobi de mentis morbis curandis docent.

Omnia denique remedia psychica, cum adhibentur, haec praecipue poscunt: 1) ut aegrotorum ingenium, educatio, vitae ratio anteactae respiciatur, nam qui literis erat deditus, aliter sane est

occupandus et tractandus, quam qui agriculturae vel opificio cuidam operam dabat, 2) ut in reconvalescentiae praecipue stadio vel in leviore insaniae gradu adhibeantur, cum, ubi morbus adhuc in culmine versatur aut causae nondum amovebantur, non solum nihil prosint, sed potius obsint; 3) ne somaticae curationis adjumento careant, quae ubi negligit, fere nunquam fausti eventus spes concipienda est.

CURRICULUM VITAE.

Ego, Ferdinandus Augustus Meyer, confes-
sioni reformatae addictus, Vlothoviae, oppi-
dulo provinciae Guestphaliae, natus sum anno
MDCCCVII, patre Henrico Meyer, matre Lu-
dovica e gente Antze, illum superstitem ad-
huc veneror, hancce jam a tenerrima pueritia
mea defunctam lugeo.

Primis literarum rudimentis domi imbutus
ab anno aetatis decimo sexto usque ad deci-
mum octavum et dimidium Gymnasium, quod
Mindæ Directore, celeberrimo Imanuel floret,
frequentavi, ibique in omnes doctrinas, quae
ad academica studia viam munire debent, quanta
in me fuit diligentia incubui.

Anno millesimo octingentesimo vigesimo
sesto universitatem literariam petii Georgianam
Augustam Gottingensem, et t. t. prorectore
magnifico Thibaut civium academicorum nu-
mero adscriptus, hasce per biennium audivit
praelectiones:

Illustr. E. Schulze de logice et encyclo-
paedia philosophica; Ill. Bouterweck de hi-
storia philosophiae; Ill. Schrader de botanice;
Ill. Stromeyer de chemia, Ill. T. Mayer de
physice. Osteologiam, syndesmologiam et myo-
logiam Ill. Hempel; anatomiam generalem et
specialem ejusque partem neurologicam Ill.
Langenbeck mihi demonstrarunt. Physiolo-
giam et anatomiam pathologicam Ill. Hem-
pel; pathologiam et therapiam generalem Ill.
Conradi; nosologiam et therapiam specialem,
ophthalmologiam et otologiam Ill. Himly me
docuere. In chirurgia tam generali, quam
speciali, in akiurgia, fracturis et luxationibus
praeceptor meus fuit Ill. Langenbeck; idemque
me instituit in praxi chirurgica. De arte obste-
tricia, tam theoretica, quam practica disse-

rentem audivi Ill. Mende; de physiologia organorum digestionis, Cel. Himly jun.; de morbis syphiliticis Ill. Marx, de historia germanica Ill. Eichhorn.

Autumno anni MDCCCVIII. me ad hancce almam literarum sedem contuli et a rectore magnifico t. t. Ill. Klenze in numerum civium academicorum receptus, et ab Ill. Bartels t. t. gratiosi medicorum ordinis decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum. Praelectiones hic per annos duos frequentavi hasce: Ill. Kluge de arte obstetricia, Ill. Mischlerlich de Zoochemia; Ill. Osann de fontibus medicatis; Ill. Juengken de ophthalmiatrica; Ill. Horn de morbis mentis; Ill. Casper de morbis infantum, nec non de arte formulas rite concinnandi, cum exercitationibus pharmaceuticis. Ill. Bartels Hippocratis aphorismos mihi interpretatus est; exercitationes obstetricias in phantomate mecum communicavit Cel. de Siebold; interpretationibus clinicis medicis adfui: Ill. Bartels, Perill. W. Hufeland, Osann et Busse, nec non Ill. Wolf;

chirurgicis ophthalmiatricis Ill. de Graefe et
Ill. Wagner, Clinicumque infantum aegroto-
rum Ill. Barez frequentavi. Praeterea occa-
sionem in instituto mentecaptis dedicato hujus-
modi aegrotantes observandi oblatam haui
praetermisi.

Tentaminibus, tam philosophico quam
medico, nec non examine rigoroso rite supe-
ratis, nil obfuturum spero, quominus disser-
tatione et thesibus conscriptis palamque de-
fensis, summos in medicina et chirurgia ho-
nores gratiosa facultas medica in me conferat

THESES DEFENDENDAE.

*Morbi mentis non raro a causis mere
psychicis oriri possunt.*

Trepanatio valde restringenda est.

*Ad curandum abscessum lymphaticum
ligaturam optimum remedium esse contendeo.*

*Modi musici in animi turbationibus cu-
randis haud negligendi sunt.*

БІЛОСІРДІЙСКА ЗБІРКА

Інші землі якими вони заселяють
заселені європейською мовою. Але
заселені європейською мовою землі
якими вони заселяють землі, якими
заселяють землі європейці.